



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita Et Institutio S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

X. Limæ in Perunio octennis paralyticus ex S. Dominici Ordine sanatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

probitas intactum conseruat thesaurum diuinæ caritatis, quamdiu nulla impugnationis obstinata impressio, quietum animum quatiet. At si valida pertinaxque institerit, sentiet plane tunc alio robore opus esse ad sustinendum hostem, & vincendum, quam quo se placida statio facillè tuebatur. Quod iuuenis de quo hic sermo est, nimis sero aduertit. Lactabat illum dolosa pace cacodæmon, vigorem virtutis, & animi vltro per se in libris stolidè absumentem; viribus accisum, & prope attritum conspicatus, nec repugnando fati parem, tormentum admouet misero tentationis vehementissimæ, pœnæque adigit ad deditiōem. Quòd tamen esset adolescens mentis valde bonæ, diuinam manum in auxilium poscebat, atque vt poterat, sustentabat sese; hic eius misertus Ignatius, qui decennio ante obierat, cogitationibus suis malè colluctanti, & tantum non victo, spectabilem se sistit, feruente paterna obiicit quod postposuisset virtutis studium literis; haudquaquam enim eo consilio ex mundi nugis in Societatem euocatum, claudensque hoc epiphonemate reprehensionem, plus, inquit, virtutis, literarum minus ambiendum, moxque ex oculis recessit. Quibus iuuenis ab sæua qua distrahebatur animi tempestate liber (nec enim tantum correcturus, errantem aduenerat) ex eo tempore, diuinis addictissimus perstitit, eoque virtutis pergit, vt Germaniæ Assistens fieret, quo simul & munere, & vita defunctus est Martij 21. anno 1597. Sed triduo ante, Antonio Menageo cui postremum ad mortem se comparans confessus est, hoc vti narraui aperuit.

IX.

*Roma viuens
adhuc, colonia
se sistit
uisuodum.*

Emendando alumno, hanc sui copiam fecit, mortuus pridem pater, alium viuens, & Romæ consistens, eodem tempore ad spectu suo consolatus est Colonia commorantem. Leonardum Kesselium Societatis operarium insignem, & primariæ virtutis, videndi Ignatij incredibile desiderium tenebat, quod de illius sanctitate sapius audiret quæ omnem vincerent admirationem. Scribit ad eum enixè flagitans, sibi vt Romam Colonia liceret excurrere, vt eius conspectu frueretur. Erat id iter longissimum, Leonardus affecta ætate, & valetudine, sed Colonia imprimis necessarius, ob eum quem illic edebat in animis fructum sanè ingentem, propter quem nullis laboribus parcebat. Optabat tamen Ignatius eius desiderio obsequi, & credibile est quod ei respondit à Deo accepisse; rescripsit enim, non esse quod tantum itineris videndi sui causa susciperet, nec de futuram Deo opportunitatem qua se inuicem Colonia viderent. Hæsit responso Leonardus, diuinare non valens qui posset tandem id fieri, donec aliquando iam nihil minus expectans, aut cogitans, videt sibi obuiam venire Ignatium, coramque consistere, vt qui ad hoc adesset, quo ab eo commodè spectaretur: cernendum se illi per otium præbuit, vicissim illum interea, ore spectans, tam læto, atque propitio, vt se deinde oculis subducens inexplicabili gaudio cumularit.

X.

Lima in Pe-

Aluarus de Molina ex S. Dominici Ordine Definitor, regendis cœnobiis, aliisque honorificè perfunctus, doctrina, & virtute notissimus, Limæ

ex paralyſi iacebat. Anni fluxerant octo, membra officiis ita penitus inter-
 cluſa, vt pedem nec poſſet figere, nec manum mouere, nec articulare lin-
 gua voces quæ perciperentur. Cadaueris inſtar è lecto, collocabatur in ſe-
 dili, vbi totos dies inmotus tranſigebat: tam obſtinato morbo & cruciabi-
 li, iam omnis ceſſerat Medicina, fruſtrâque ſe vel in remedium, vel in le-
 uamentum exhauſerat: reſtabat vnum ſpe omni deiecto, patientiæ ſola-
 tium, & lectitatio piorum, ad quam etiam adeſſe oportebat qui folia ver-
 teret. Voluebat octennium is labor, cum Iacobus de Oheda eiufdem Ordini,
 Theologiæ profeſſor; Societatis, & Ignatij mirè amans, vitam huius
 ægroto tradidit ab Ribadeneira compendio ſcriptam, quæ volumine altero
 de ſanctis haberetur, rogauitque eam vt legeret. Fecit vtrò quod ſuadebatur,
 admodum ſtudioſè, illâque animi conſolationem, ac robur, inde illicò
 ſenſit, quæ ſemper creſceret legendo. Acceſſit iniecta menti fiducia viri
 ſancti apud Deum potentis, ſed ad eò fixa, vt cum eò veniſſet, vbi de mi-
 raculis Ignatij Ribadeneira narrat, quod lingua non poterat, accenſo ad
 Deum animo, ſcis, inquit, Deus, quæ hoc libro de Ignatio dicuntur ſeruo
 tuo admirabilia, pro indubitatis me habere; eius mihi quoque meritis, va-
 letudinem reſtitui peto; qua ſi dignatus me fueris, religione voti perpetua
 eius diem feſtum præmiſſo vigiliæ ieiunio colam; & ad matutinos, & veſ-
 peræ cantus precectionem, & orationem eius, quotidie adiungam, futu-
 rus illi, & eius Ordini deinceps gratus, & addiſtus. Agitur cum hæc
 nuncuparet, ſanctis omnibus feſtus dies anno 1607. ſuiſque his votis in
 octauum diem confidenter productis, ſub ſerum diei moneri ſe audit, in-
 teriori iuſſu, ac ſubito, ſurge, & ambula, cui voci comes impetus qui-
 dam animi adfuit, quo excitabatur ad exiliendum è ſedili, tentat igitur, &
 ſtatim, & greſſum, experiturque crura iam firma conſiſtere, poſſèque ſe-
 curè progredi; brachia, linguam, corpus omne, nouo vigore expeditum,
 & habile; dat ſe in viam audenter, & facilè; quò reliqui Patres conuene-
 rant ad Theologicam publicam theſum propugnationem adeſt impro-
 uiſus: quantus omnium ſupor ad eius conſpectum? quàm ſuis quiſque in-
 credulus oculis? quoad ex ipſo didicere, S. Ignatij miraculum id eſſe, rei que
 totius ordinem eo narrante cognouere: tunc verſo in feſta gaudia ſtupore,
 diſputationibus intermiſſis, ad agendas Deo, & Sancto gratias incenſi Eu-
 chariſtico ſolemni, *Te Deum* decanunt. Hinc noſtris Patribus rem, vt ge-
 ſta erat conſeſtim nuntiant, quam, & poſtea inſtrumento legitimo, &
 auctoritate munitam iuridica iſdem conſignarunt. Quo die iſta gereban-
 tur Chriſtophorus Meſa Societatis adhuc tiro, ſupremis iam ſacris ad æter-
 nitatem ſe expedierat; audit religioſum S. Dominici ab ſancto ſuo patre
 Ignatio perſanatum, videt noſtros quoque conuenire miraculi gratias actu-
 ros; Deum rogat ſibi liceat ſurgere, ne communi deſit lætitiæ, ſed cum
 iſis hymnum exſoluat gratiarum, rata mox ſunt eius vota, exinde iam me-
 lius, poſt vero paulatim integrè conſaneſcit.

vniuerso cæcitate
 paralyticus
 ex S. Domini-
 nici Ordine
 ſanatur.